

nostrum Iesum Christum, sicut ipse in Euangelio loquitur, leui iugo suo nos subdidisse, et sarcinae leui,²¹⁹ unde sacramentis, numero paucissimis, observatione facillimis, significatione praestantissimis, societatem noui populi colligauit, sicuti est baptismus Trinitatis nomine consecratus, et communicatio corporis et sanguinis ipsius, et si quid aliud in scripturis canonicis commendatur;²²⁰ Vbi diuus Augustinus, his duobus sacramentis expresse positus, de reliquis dubitare videtur. Ideo liber Interim iniuriam facit Augustino, quasi septem sacra simul in locis praeallegatis enumerasset, cum duo tantum expresserit. Imo septenarius numerus sacramentorum neque in scriptura sacra fundamentum habet, neque Sancti Patres quicquam de numero sciuerunt. Itaque cum hoc sit praecipuum in sacramentis, quod sint symbola diuinae gratiae, seruientia fidei gignendae et alendae, quae debent omnibus Christianis et solis Christianis esse communia, non videmus, quomodo fieri possit, ut plura sint sacramenta vera, quam Baptismus et coena Domini, quae duo non conferunt gratiam, non abluunt, non iustificant, non dant remissionem peccatorum, id quod liber Interim baptismo tribuit; Sed gratiae, ablutionis internae, iustificationis et remissionis peccatorum certissima sunt signa [126:] et testimonia tantum, in et cum quibus Christus Dominus per Spiritum suum est efficax ad nostrae salutis operationem, ut non securi sed secanti tribuatur operatio, nec ex sacramentis idola fiant, si plura tribuamus illis, quam quae sunt illis iure tribuenda.

Quod autem malus minister possit utiliter sacramenta dispensare,²²¹ suam rationem habet in hunc modum, quod occulta quidem ministri vitia non nocent eis, qui veris sacramentis a Christo institutis utuntur in fide; tamen etiam hoc verum est, quod, quicumque cum manifeste flagitiosis ministris verbi et sacramentorum communionem habent et conuersantur, particeps fiunt omnium maledictionum, quibus Dominus talibus maledicit.

XI. De Baptismo.²²²

Baptismum agnoscimus verum esse sacramentum, ab ipso Christo substantialiter institutum, habens suum elementum, verbum et mandatum baptizandi, quo sacramento fides hominis, Christo per baptismum initiati, semper erigatur, sustentetur ac confirmetur, ut credat et certo statuat sibi contingere remissionem peccatorum propter solum Christum, quoties baptismum intuetur. Cum autem in hoc sacramento diuina quadam cerimonia fiat applicatio verbi ad elementum iuxta institutionem Christi; non [127:] debent addi ceremoniae

²¹⁹ Vgl. Mt 11,29f.

²²⁰ Augustin, ep. 54(118),I = Ad inquisitiones Ianuarii I, in: PL 33, 200 (CSEL 34, 158–160).

²²¹ Diese Auffassung entspricht gemeinchristlicher Lehre seit den donatistischen Streitigkeiten im 4. Jahrhundert.

²²² Vgl. Augsburger Interim XV, 75–79.